



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avgvstini Barbosæ I. V. D. Lvsitani, Protonotarii, Et
Ivdicis Apostolici designati pro Tribunali Nunciaturæ
Hispaniæ, ac insignis Ecclesiæ Vimaransensis Thesaurarij
Maioris, Collectanea Doctorvm, Qui ...**

Barbosa, Agostinho

Venetiis, 1643

9. Contra inanem hæreticorum fiduciam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14108

Quomodo intelligatur, impium per fidem, & gratis iustificari.

CAPVT VIII.

1 De conuersione hominis ad Deum, & num. 2.

3 Actus ad gratiam habitualement, seu ad iustificationem disponentem, qualis esse debeat.

Roman. 9. **C**um verò Apostolus dicit, iustificari hominem per fidem, & gratis: ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesie Catholice consensus tenuit, & expressit: vt scilicet per fidem ideo iustificari dicamur, quia fides est humane salutis initium, fundamentum, radix omnis iustificationis: sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium peruenire: gratia autem iustificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quae iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur: si enim gratia est, iam non ex operibus, alioquin, vt idem Apostolus inquit, gratia iam non est gratia.

Hebr. 11.
Infra cap. 9.

Roman. 11.
Ephes. 2.
Tit. 3.

1. **V**ide Trullench in Decalog. lib. 1. c. 1. dub. 2. num. 3. Ad Actiones, quibus ad Deum conuertimur, actiue conuerti cum auxilio Dei supernaturali, docent August. serm. 13. de verbis Apost. Ambros. lib. 2. in Lucam, cap. 3. Hieron. in c. 1. ad Ephes. August. lib. 2. de peccat. mort. & remiss. cap. 1. & lib. de correctione, & gratia. Homines ad Deum liberè conuerti, probant Ignat. episc. ad Magnetianos, & August. homil. lib. 50. homil. 16. Actum ad gratiam habitualement, seu ad iustificationem disponentem debere esse supernaturalem, seu ex gratia elicatum, nec enim ad Deum potest homo se præparare suis viribus, docent S. Thom. part. 2. quest. 109. art. 6. Bonauent. in 2. disput. 28. art. 2. quest. 1. Dried. de captiu. & red. gener. hum. tract. 4. cap. 2. part. 2. & lib. de concord. cap. 3. Veg. lib. 6. in Trid. cap. 3. cum seqq. & in opus. de iustific. quest. 8.

a. Cum verò Apostolus dicat, &c. Vide Torreblanca de iure spirit. lib. 14. cap. 1. num. 17. & cap. 6. num. 9.

Contra inanem hæreticorum fiduciam.

CAPVT IX.

1 Homines non possunt habere certitudinem de sua iustitia, ijs exceptis, quibus Deus specialiter reuelaret.

Tit. 3. **Q**uamuis autem necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa vnquam fuisse peccata, nisi gratis diuina misericordia propter Christum; nemini tamen fiduciam, & certitudinem remissionis peccatorum suorum iactanti, & in ea sola quiescenti, peccata dimitti, vel dimissa esse dicendum est, cum apud Hæreticos, & Schismaticos possit esse, immo nostra tempestate sit, & magna contra Ecclesiam Catholica contentione prædicetur vana hæc, & ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud asserendum est, oportere eos, qui verè iustificati sunt absque vlla omnino dubitatione apud semetipsos statuere se esse iustificatos, neminemque à peccatis absolui, ac iustificari, nisi eum, qui certò credat se absolutum, & iustificatum esse: atque hac sola fide absolutionem, & iustificationem perfici: quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, deque mortis, & Resurrectionis Christi efficacia dubitet: nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum seipsum, suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest: cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.

Infra c. 11.
& c. 13.

Infra c. 14.

1. **I**n hac vita non posse homines habere certitudinem de sua iustitia, ijs exceptis, quibus Deus specialiter reuelaret, docet S. Thom. 2. 2. quest. 11. art. 5. Theologi communiter in 1. sent. dist. 17. Vega lib. 9. in Concil. Trid. Sot. lib. 3. de natura, & gratia, c. 10. cum seqq. Rosent. contra art. 10. & 11. Lutheri, Castr. lib. 7. aduersus hæreses, verb. gratia. Barthol. à S. Faust. tom. 3. tract. de Paris. lib. 3. g. 94. ubi per hunc text. tenet quod nemo potest certitudine infallibili certò scire se habere Dei gratia iustificationem. Probatur ex Apost. ad Rom. 11. O altitudo diuinarum sapientia, & scientia Dei, &c. & ad Rom. 12. Tu autem fide stas, noli alia sapere, &c. & 1. ad Cor. 10. Qui stant, videant ne cadant. & ad Philipp. 2. Cum timore & tremore salutem vestram operamini. & Apoc. 3. Tene quod habes, ne forte accipias coronam tuam.

a. Quamuis autem necessarium sit credere, &c. Vide Torreblanca de iure spirit. lib. 14. cap. 1. num. 18.

De Acceptæ iustificationis incremento.

CAPVT X.

1 Homo iustus toto tempore vite sue potest in gratia crescere.

Psalm. 38.
Inf. c. 24.
2. Cor. 4. 1 ff.
Coloss. 3.
Rom. 6.

Sic ergo iustificati & amici Dei, ac domestici facti, cunctes de virtute in virtutem renouantur vt Apostolus inquit, de die, in diem: hoc est, mortificando membra carnis, suæ, & exhibendo ea arma iustitiæ in sanctificationem, per obseruationem mandatorum Dei, & Ecclesie, in ipsa iustitia

per